



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 17. in carnivoros.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)



PHILIPPICA XVII.

In carnivoros.

DOMINICA I. QUADRAGESIMAE.

Esurijt. Matth. 4. v. 2.

§. 5.
Præceptum jejuniij quadragesimalis antiquissimum.



Legem quadragesimalis jejuniij novitiam non esse, ut Novatores volunt, noverunt quotquot humani divinique juris peritiores sunt. Jejunavit dies 40. Noë in arca, jejunavit ante legem scriptam Moyses, post legem Elias; jejunavit supremus legislator dies noctesque 40. & sacrum hoc jejunium exemplo suo firmavit. *Quod quadragesimam jejunamus*, inquit

Chrysol. serm. 11.

Chrysologus: *non est humana inventio, auctoritas est divina.* Ex Canone Apostolorum sexagesimo octavo liquet præceptum quadragesimalis jejuniij confirmaturq; illa Augustini regulâ: *quæcunque in tota Ecclesia observantur, & in nullo Concilio instituta inveniuntur, sine dubio ex Apostolica traditione descendunt.* Cum ergo in nullo inveniatur Concilio quasi recens institutum quadragesimale jejunium, dubium esse non potest, ab ipsis Apostolorum temporibus sumptum fuisse exordium. Quapropter audacter Abulësis: *quadragesimam ipse S. Petrus primus instituit jejunare.* Jejunasse Noëmum in arca ut supra dicere me memini. S. Chrysologus docuit ser. 166. *à tempore diluvij sacramenti hujus operiebatur mysterium*, quæ verba interpretatus B. Alcoinus interrog. 126. Noëmum, inquit, in arca jejunavit,

S. August. l. 4. de bapt. c. 24.

Tostatus Abul. qu. 152. in c. 6. March.

quod verò post 40. dies fenestram dicitur aperuisse significat jejunium cætum referari. Quapropter standum est verbis S. Epiphaniij hæresi 75. quæ recitat & confirmat S. Augustinus ser. 62. *alijs diebus jejunare remedium est aut præmium, in quadragesima non jejunare peccatum est.* Ubi sunt jam illi, qui jejunium quadragesimale nemini prodesse ajunt cum hæresiarcha Joviniano, superstitiosum asserunt cum Calvino, Dæmonum doctrinam interpretantur cum Luthero. Audiant hi Paulum non tam fulmina ore jaculantem, quam lachrymarum flumina oculis profundentem, quibus eorum insaniam & plusquam diabolicam malitiam deplorat & exclamat; *multi ambulant quos sæpe dictum vobis, nunc autem & stens dico, inimici crucis Christi, quorum Deus venter est, quorum finis interitus.* Contra hos præsens aget dictio, & ne actum agat, frustraque illis esum carniium hoc quadragesimæ tempore dissvadeat, tria iisdem fercula apponet optica, quibus non oculos tantum aurésque sed ventrem & ingluviem suam abundantissimè satiabunt.

Ferculum primum est caput Joannis Baptistæ in disco. Diu insidiabatur aulico huic concionatori inimica veritatis Herodias, *volebat occidere eum nec poterat.* Marc. 6. v. 19. quoties opportunè, importunè apud

§. 2.
Carnivoris ferculum opticum apponitur caput Joannis Baptistæ.

apud regem institit, quoties blanditiis, quoties lachrymis egit, quoties mærores & furias simulavit, sed frustra omnia, persuadere Regi non potuit, ut innoxium Baptistam de medio tolleret, dissimulandum erat donec *dies opportunus* ut Evangelista loquitur, accidisset. Convivij dieis fuit, quo inter fercula optica Joannis Baptistæ caput apponi debuit: *ecce quid parturiunt totis noctibus protracta conviviva*: exclamat Chrysologus, quid parturiunt esus carni-um, parturiunt enim verò contemptum DEI, funera, tyrannidem, mala omnia; ut non immeritò Tertullianus gulam peccato originali aut equo Trojano contulerit, ex quo universitas iniquitatum redundavit. *Rapitur ad penam*, inquit de Joanne B. Ambrosius, *convivali tempore, sanguine effuso opus est, ut condiantur epule*. Quod Herodias quondam Joanni hoc hodie caro nostra Christo facit, sollicitar anno toto ad peccata mortalia, hoc est, ad effundendum sanguinem Filij Dei, vultque nos crudeles non in *voce* verbi sed *verbum* ipsum. Si anno toto frustra egit, hoc tempore hoc die non frustra; est namque illi *dies opportunus*. Sed ò peccator cum caro sive assa sive elixa apponitur, scito cruentum esse caput Christi, quale Veronicæ in linteum accipimus impressum, scito esse recentem sanguinem qui contra Te vindictam clamat, morbos, mortem evocat, infernum concitat, ò nè comedas. clamantem pro Christo audio Chrysostomum hom. I. in c. I. Gen. to. I. *non attendas ad laborem solum sed ad fructum, labor quidem nobis est in jejunando, at nondum pro domino Iesu crucifixi sumus, majora ipse tulit, parva nos reddimus crucifixus est propter te & sitit & bibit acetum cum felle propter te, quid tu propter ipsum? stas in labore, nondum*

Chrysol.
fer. 174.

Tertul. l.
ad Psych.
c. 5.

pendidisti in cruce, nè sis ingratus erga Dominum IESUM, qui non compatitur IESU, ignorat IESUM. Non compatitur, qui non jejunat; compassi Jobo amici septiduo comederunt nihil; non requirit à te, tantum tuus Iesus, sed ut sex septimanis unico edulio tibi interdicas, idque in gratiam carnis suæ, quæ pro te dilacerata, in gratiam sanguinis, qui pro te effusus, in gratiam fellis & aceti, quod pro te potatum, in gratiam mortis, quæ pro te obita.

In altero disco præsentò Mummias non Ægyptias sed ex Ægypto egressorum Israëlitarum, intra quorum dentes adhuc hærent carnes. Votum illorum erat, quale & vestrum: *quis dabit nobis carnes ad vescendum? anima nostra arida est & nauseat super cibo isto levissimo.* num. II. v. 9. blasphemum hoc erat murmur in Deum & vesana rebellio; exprobrabant enim Deo: non est ditior cœli dominus, quàm ut unico semper ferculo suos pascat feros, clientes, amicos? fumusne pecora ut uno nos tantum cibo alat? non sumus alio cibo digni, quàm solo pane? quid nobis cum manna, quid cum putido cibo, qui in diem tertium servari non potest? ò quàm nobis melius in Ægypto ad ollas carnis, ad allia & cepas! ità murmurones illi patibularii, quorum vociferationibus commotus Deus (suspecta est mihi hæc vox *Cras quæ corvum sonat*] *cras, ait, comedetis carnes donec exeant per nares vestras & vertantur in nauseam.* quod & die postera factum, coturnicibus enim, tractati sunt, quas vorarunt usque ad nauseam & æternam satietatem; vorarunt enim unà mortem: *adhuc carnes erant in dentibus eorum, & furor Domini concitatus in populum percussit eum plagâ magnâ nimis, voca.*

§. 3.
Alterum
ferculum
mummie
Israëliticæ.

catusque est locus ille; sepulchrum concupiscentia. Innumeri sunt qui diem Dominicum non supervixerunt, quia die Sabbati carnes vorârunt. Multi pascha non attigerunt, quia quadragesimam non observârunt, Matrísque Ecclesiæ præceptum non honorârunt, ut essent *longævi* super terram. Multi corvis infernalibus in pabulum cesserunt, quia cum epulone quotidie epulati splendide, jejunia & tempus poenitentiae procrastinârunt. Multi fleverunt, flebuntque quia *Ægyptiorum* Numen & obsonium, cepas cum carnibus usque ad lachrymas abligurârunt. O quot viverent, si parcîus carnibus & quidem hoc verno tempore, quo juvenis caro plus veneni quàm elementi habet, usi fuissent. Elfeus Episcopus in Anglia sanctissimus hâc ipsâ Dominicâ primâ Quadragesimæ ferventissimè in carnivoros detonuerat, sed bruto, ut non nemini videbatur, fulmine; is enim more apud reprobos recepto & concionatorem ridere, traducere, pungere, animum in proposito vorandarum carnium obstinare; quod cum Episcopus inaudisset: *ô miser!* exclamavit, *nescis quid ventura tibi pariat dies.* Oraculum hoc fuit & non inane, tonitru, sequenti enim manè irrisor ille morte subitanè extinctus in lectulo suo repertus est. Deus non irridetur! amarus sarcasmus omnes illusores manet, *ego quoque in interitu vestro ridebo.* Cavete irrisores, attendite illusores, quovis momento D E U S eâdem in vos plagâ animadvertere, si vult, potest; quâvis horâ corvos infernales mittere, qui animam vestram extrahant, vitam depabulentur, crastinum vos videre non sinant. Sicut corvorum escæ sunt cadavera, ita carnivori sunt infernalium corvorum pabulum.

Corvorum cum memini, tertium ecce vobis apponitur ferculum Corvus videlicet ille, qui Eliæ carnes in quotidianum dimensum attulisse legitur 3. Reg. 17. v. 6. *Corvi quoque deferebant ei panem & carnes manè & vesperti.* à corvis abstinentiam discite ò corvis deteriores carnivori. parcunt carnibus corvi & Eliæ in torrente Carith contra Jordanem sedenti ad nutum Numinis deferunt; & vos amantissimo Iesu vestro ad Jordanem jejnanti carnes non deferetis, sed ipsi devorabitis? quin Eremitam illum imitamini, qui ad carnes gustandas tentatus, emit quidem & in medio cellulæ suspendit, seque sanctissimâ voculâ corvinâ animavit, *cras comedemus, non hodie, cras cras.* nec antè attigit, quàm puterent, vermirent, defluerent; ibi nares, ibi os, ibi linguam applicare seque hortari: epulare nunc quas tantopere desiderasti carnes; hem delicias tuas, in quarum gratiam gratiâ DEI excidere, Iesum crucifigere, spiritum extinguere parabas. ò quàm rarus hodie similis athleta, rara avis in terris albòque simillima corvo. Ad Eliam redeo & ingeniosus quid observo, pastum videlicet Prophetam diversis vicibus fuisse à corvis, ut jam memini, aliàs ab Angelo, cum persequentem Jefabelem mortemque, ut legere est 3. Reg. 19. fugeret; pascit Eliam corvus, & quid apponit dum archimagirum agit? panem & carnes, manè & vesperti. Pascit eundem Angelus & quo obsecro edulio? *Angelus Domini tetigit eum & dixit illi: surge & comede, respexit & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ.* nihil de carnibus? nè offula quidem? cur tam parcus Angelus est & à corvo vinci se patitur? non offert carnes quia bonus Angelus est, corvus vero carnes bis affert, quia dæmonis

§. 4.
Tertium
ferculum
Corvus E-
liæ.

Batonius
ad annum
947.

Proverb.
1. v. 26.

M

nis

nis refert figuram, hic enim carnes fradet, porrigit, ingerit, ut carnibus pasti in pabulum denique corvis cedant. Persequitur, nos hodie scelerata Jezabel, sensualitas inquam & concupiscentia mortem intentat, afflictiones ingeminat, fugiamus ad montem ubi Christus est, fugiamus ad montem qui Christus est, ad montem ubi epulatur hodie post victoriam Christus, ad montem Calvariae ubi

pro nobis moritur Christus, sub crucis Junipero contenti simus pane & aqua, ab Angelo oblatis, non curemus quas corvus offert carnes, plus enim satiabit & confortabit nos panis quam caro, ut confecto quadraginta dierum jejunio perveniamus ad montes Galilaeae, ubi se videndum promittit Christus in immortali gloria, & immortalitate gloriosa. Amen.

PHILIPPICA XVIII.

In mancipia dæmoniorum.
DOMINICA EADEM.

Vade Sathana. Matth. 4. v. 10.

S. I.
Cur Eva
tentetur
pomo,
Christus
omnibus
regnis.



Evam in paradiso decepturus dæmon unicum duntaxat pomum eidem ostendit, at verò omnia mundi regna offert.

Christo, ut si possit ad deferendam sibi latrunciam illum inducat: *sic cadens adora-veris me.* noverat versipellis inimicus non magno opus esse molimine, ut homo ad acceptandos per fas & nefas honores inducatur, difficile autem esse, ut se submittat alteri & homagium præstet; hic labor hic omnibus mundi regnis opus est. omnia mundi regna ultro promittit & offert dæmon, ut unicum lethale crimen à Domino Iesu impetret. quâ in pollicitatione impudentiam dæmonis arguit D. Gaudentius, mendacitatem exprobrat S. Chrysostomus, *de effrœnis diaboli mendacis audacia* (verba Gaudentij) Dominum sentit & tentat, Dominum novit universae creaturae, & tamen se largiturum possessionem creaturarum pollicetur, per quem creata esse omnia non ignorat. Chrysostomus verò: *confide-*

S. Gauden.
er. 119. de
Villico

D. Chry-
sost. hom.
5. in im-
perf.

ra, inquit, *quomodo omnis promissio ejus irrationabilis sit & mendax, certe uni omnia dare non poterat, nisi ab hominibus omnia tolleret.* Verum ego non tam impudentiam & falsitatem dæmonis miror, quam pretium hominis admiror, quod tanti facit dæmon, ut homini emendo non unum auri millionem, non regnum integrum, sed omnia mundi regna polliceatur: *hec omnia tibi dabo si cadens adora-veris me.* unicum adorationem ab homine sibi factam non dimidij regni pretio ut Asverus & Herodes æquiparat, sed orbi universo componit: *hec omnia tibi dabo:* quid autem homo? adeò ignavus & sibi ipsi injurius est, ut non omnia mundi regna, sed nummulum aureum, coloratum videlicet lutum, unius momenti voluptulam, fumum & umbram honoris emendicet à dæmone, seque vicissim in mancipium perpetuum devoveat, quæ infania cum nè Angelicâ quidem facundiâ expromi sufficienter possit, mirum non erit, si me verba prius defecerint, quam dignum, aliquid contra indignissimâ pro-